



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 7 Conventus in oppido S. Germani in Laja ob Calvinii hæresin celebratus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Episcopus, Andreas de Cuesta Episcopus Legionensis, & Antonius Gorromerus Præsul Almeriensis, qui omnes contra illa verba, *proponentibus Legatis*, quæ in præfato Decreto a Legatis fuere apposita, acriter obitrepebant, contententes, quod hæc clausula, utpote nova, admitti non valeat, aliunde vero in Synodi Oecumenicæ ignominiam cedat: verum spreta eorum cavillatione hæc verba retinebantur, & postmodum alterum legebatur decretum, quo Sessio sequens ad vigesimam sextam Martii diem indicebatur: denique recitatum fuit tertium diploma de ordine, ac loco, quem Primates in hac Synodo tenerent.

## §. VII.

*Conventus in oppido S. Germani in Laja ob Calvinii hæresin celebratus.*

Cum interea Tridenti pro eliminanda hæresi nil intentatum relinqueretur, in Francia Calvinii Sectatores indies magis, magisque suam hæresin propagabant, eorumque numerus a Possiacensis colloquii tempore adeo excreverat, ut palam suam rabiem exerere haud erubescerent, atque audacter liberam, nullaque conditione restrictam sua conciliabula agendi facultatem sibi

*Hist. Eccles. Tom. XLIV. Z con-*

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

Sæcul. XV.  
A. C. 1562.

concedi peterent, quamvis jam antea per nimiam indulgentiam sigillatim illis nuntiatum fuisset, quod nulla eis molestia sit inferenda, dummodo in privatorum ædibus illorum haud plures quam viginti duo convenirent, suosque ibi cœtus agerent: cum igitur timendum esset, ne crescente temeritate novam concitarent seditionem, nisi petulanti eorum petitioni cederetur, hinc Regina Mater instigante Hospitalio Cancellario Principibus, Ducibus, & Franciæ Paribus, ac Marefcallis, ceterisque Regni Ministris injungebat, ut die sexta Januarii ad S. Germani oppidum in Laja convenirent, hacque super re deliberarent: Verum Montmorentius futuri successus haud ignarus huic colloquio interesse noluit, pariterque Guisus Dux, ac Cardinalis Lotharingus ejus frater ab hoc oppido studiose recedebant.

Rex postquam præprimis hujus confessus causas paucis exposuerat, Cancellarius illius verba excipiens inter alia demonstratum ibat, quod hucusque pœnarum severitas Protestantes adeo non ad officium revocaverit, ut illorum numero magis, magisque aucto, si durius cum illis deinceps ageretur, Parentes contra filios, atque uxores contra Maritos suos ad sumenda arma

com-

compellere necesse foret: „Attamen, Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.  
 „prosequeretur Cancellarius, non jam  
 „agendum, nec etiam, quænam ex  
 „duabus Religionibus verior sit, confe-  
 „rendum, aut decidendum, sed unice  
 „attendendum est, ut perpendatis, an  
 „e Regis, ac subditorum re esse existi-  
 „metis Calvinistarum cœtus permitti,  
 „vel vetari: agere enim de constituenda  
 „Religione longe aliud est, quam de  
 „republica ordinanda conferre; quippe  
 „multi possunt esse boni cives, qui mi-  
 „nime sunt Christiani, nec desinit esse  
 „Gallus, Regisque subditus, qui per  
 „anathemata ab Ecclesia sejunctus est,  
 „sique Regni leges matrimonia inter  
 „diversæ Religionis homines rata ha-  
 „bent, cur non & illæ quicquam a suo  
 „rigore remittant pro consequendo tanti  
 „momenti bono, quale est unio, ac  
 „concordia inter Catholicos, & Calvi-  
 „nistas., Absoluto hoc sermone Can-  
 „cellarius suffragia collegit, quorum po-  
 „tissima eo abiere, ut Julianum edictum,  
 „quo omnes Sectariorum cœtus prohibe-  
 „bantur, revocaretur, istique pariter  
 „sententiæ Marecallus Santandreas,  
 „& Cardinalis Turnonius accessere.

## §. VIII.

*Edictum in Mense Januario pro Pro-  
 testantibus conditum.*

Z 2

Præ-